


1722.

1. Alberti, Michael: *De religione medici.*
- 2^{a, b, c} Boetmerus, Justus Henning: *Vindictive imperiales pro Parmae et Placentiae Ducatibus.* 3 Sect. 1722 & 1736.
- 3^{a, b} Boetmerus, Justus Henning: *De fundamento retractus duplicis in agris Hamburgensium astituti.* 2 Sect.
- 4^{a, b, c} Boetmerus, Justus Henning: *De variis censuum significata et jure.* 2 Sect.
- 4^c Boetmerus, Justus Henning: *De variis censuum significata et jure.* Recusa 1764.
- 5^{a, b, c} Boetmerus, Justus Henning: *De sanctitate ecclesiarum.* 3 Sect. 1722 & 1741.
- 6^{a, b} Boetmerus, Justus Henning: *De literis respiratoris canonice validitate et invaliditate.* 2 Sect. 1722 & 1732.
- 6^c Boetmerus, Justus Henning: *De literis respiratoris canonice validitate et invaliditate.* Rec. 1754.
- 7^{a, b, c} Boetmerus, Justus Henning: *De subditis principum ac statuum eorum ditionum dispensandi jure in causis et negotiis tam sacris quam profanis.* 3 Sect. 1722, 1725 & 1751.

1722.

8: Boehmerus, Iustus Nunnus: De iure circa jejunantes ab
diventes et jejunos

9^a, 6^{ta}
= Boehmerus, Iustus Nunnus: De restitutione in integrum
contra sponsalia puda minorum. 3 Junii. 1722
1730: 1739.



[Faint, illegible handwritten text in a cursive script, likely a library inventory or bookplate, covering the majority of the page.]



A2 1732

76
45

IVSTI HENNINGII BOEHMERI ICTI

POTENTISSIMI REGIS PORVSSIAE CONSILIARII INTIMI
MAGDEBURGICI DVCATVS CANCELLARII ACADEMIAE
FRIDERICIANAE DIRECTORIS PROFESSORIS IVRIS
PRIMARII ET IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
PRAESIDIS

TRACTATIO IVRIDICA

DE

VARIO CENSVM
SIGNIFICATV ET IVRE.



HALAE VENEDORVM
TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI.
RECVSA MDCCLIV.

(5)



IVSTE HENNINGII BOEHMERI
MAGISTRI REGIS BORVSSIAE CONSILIARII IURIS
MAGISTRI REGIS DUCATUS SAXONIAE ACADEMIAE
IURISCONSULTAE DIRECTORIS PROFESSORIS IURIS
PUBLICI ET IURISCONSULTORUM ORDINIS
PRAESIDENTIS
TRACTATIO IURIDICA
DE
VARIO CENSURARUM
SIGNIFICATA ET IURE



HABEAT VINCULUM
HABEAT VINCULUM
HABEAT VINCULUM





TRACTATIO
DE
VARIO CENSVM
SIGNIFICATV ET IVRE.

§. I.



Signa rerum esse arbitraria noto notius est. Quemadmodum enim verba ore pronunciata significationes varias ex hominum impositione acceperunt, quibus mentem suam alteri declararent; ita pariter factis quoque, gestibus, aliisque signis communi quasi consensu hominum impositae sunt significationes, quibus idem efficeretur, imo saepe efficacius mens declararetur quam per verba. Inprimis vero in illis causis, quae perpetuum temporis tractum, continuatamque iuris seriem desiderant, vsu & obseruantia in foris civilibus signa varia inualuerunt, & legibus scriptis approbata sunt, per quae memoria alicuius iuris constituta

*Memoria
iuris con-
stitui per
signa con-
seruatur.*

A 2

ti

ti in perpetuum conseruaretur, precauereturque, ne tandem obliuione perirent, sed potius, repetitis certo tempore vicibus, agnitio eius publica per certa indicia fieret.

quod exem-
plis illu-
stratur.

§. II. In feudis *dominii directi* substantia admodum periclitaretur, nisi mutato vasallo vel domino renouatio feudi solenni quodam actu fieret, quod olim maxime necesse fuit, quo nondum *literæ inuestituræ* receptæ erant. In *precaris*, quæ ab ecclesiis ad instantiam & preces indigentium concedi solebant, admodum solliciti erant ecclesiæ proceres, ne possessores has in perpetuum sibi assererent, qua de causa legem contractui addere solebant, vt de quinquennio in quinquennium renouarentur, *c. 5. C. 10. q. 2. c. 1. de precar.* vel etiam aliquando *annua pensio* seu *census* præstaretur, vt constat ex *nou. Leon. 13.* & formulis MARCVLFI infra allegandis. In *emphyteusibus* magnopere domini interest, vt memoriam *dominii directi* conseruet illibaram, id quod fit per annuam canonis solutionem, quem præstant emphyteutæ vnice in *dominii directi recogniti-
nem.* Quid autem est *recognoscere* aliud, quam declarare, profiteri, & per actum *solutionis* agnoscere, eum, cui census præstatur, esse dominum fundi directum, se vero emphyteutam. Hac de causa quoque arbitrium est, in qua re pensio seu canon constituatur, cum signa rerum sint arbitraria.

In primis
exemplo
census.

§. III. Fluxisse ex hoc principio arbitror eam praxin, qua *census* seu *annuas pensiones*, vt indicia quædam iuris cuiusdam constituti, bonis rebusque imponere sueuerunt maiores, siue id ipsum ad imitationem *iuris emphyteutici* receptum, siue ex *naturali* quadam *ratione* inter gentes populosque introductum fuerit.

Admo-

Admodum enim conueniens est, vt, cuius rei memoria conseruanda est, annuam quandam recognitionem habeat, quæ commodissime per *præstationem annuam* perficitur. Enim vero cum varia iura sint, in quorum memoria talia indicia edi solent, non leuem peperit incertitudinem, quod generatim receptum fuerit, census arbitrarium in horum gratiam præstare, quia ex census solutione *generatim* quidem colligitur, ius ali- quod esse alicui concessum vel constitutum; cuius autem iuris concessi speciale indicium sit, sæpe dubium & incertum est, nisi simul documenta adsint, quæ primordiale eius constitutionem edoceant.

§. IV. Hæc omnia dubia euitari poruissent, si per leges census fuissent ita determinati, vt in singula iura concessa certarum rerum præstatio fuisset constituta, in hæc quidem nummorum, in alia frumenti, rursus in alia pullorum solutio & ita porro. Quod cum minime factum sit, euentus docuit, certum ali- quod argumentum ex census solutione desumi non posse. Id quod vt euidentius fiat, animus est, in hac dissertatione inaugurali *varios censuum significatus*, & inde fluentia iura euoluere & ex antiquis documentis vsum huius doctrinæ illustrare.

*Cuius si-
gnificatus
varii sunt.*

§. V. CENSUS quidem regulariter consistit in *annua præstatione* alicuius rei; sed finis eiusdem admodum diuersus est. Datur *annua pensio* in simplici *locatione*, quæ soluitur propter vsum concessum rerum vel fructus fundi, & quia eorum *compensationem* intendit, proportionatam pensionem desiderat, & ex quantitate sua facile cognoscitur, siue ad breue tempus siue ad longum tempus locatio fuerit facta, imo etiam *in perpetuum*. Huc etiam *concessionem ad firmam* re-
fero,

*Annue
pensiones
in locatio-
ne occur-
rant,*

fero, cuius fit mentio in *c. 7. X. de iure patron.* Apud AVBERTVM MIRAEVM *lib. II. donat. Belg. c. 101.* occurrit diploma de anno 1245. huius tenoris: *Abbatissæ & conuentui de camera Cisterciensis ordinis Cameracensis diœcesis dedimus, concessimus & tradimus ad firmam perpetuam SVB ANNUA PENSIONE 35. C. marcharum coloniensis monetæ,* vnde liquet speciem locationis in tali concessione apparere, quod etiam docet textus in *c. 8. X. de decim. c. 2. X. de locat.* Ipsa appellatio est Anglo-saxonica, denotatque annonam *victum* vel *edulia*, vt ostendunt CANGIVS in *glossar. hac voc. DE ROYE de iure patron. ad c. 7. X. de iur. patron. SPREELMAN. in glossar. hac voce.* vt nihil aliud fit quam concessio vsus fundi alteriusue iuris pro pensione ad victum destinata vel pro præstanda annona. Hoc modo monasteria sæpe villicis bona sua administranda dederunt, vt ex illis quotannis necessaria alimenta ipsi præstarent, qualis concessio est nihil aliud, quam *traditio ad firmam.*

non in
emphy-
teusi.

Dantur
etiam cen-
sus rura-
les.

§. VI. Porro occurrit *annua pensio* in emphyteusi, quæ vnicum suum fundamentum in iure Romano habet, cum qua *census*, de quibus hic agitur, minime confundi debet. Dantur *census*, prædiis rusticis inhærentes, qui ex antiqua rusticorum conditione dominis præstandi sunt, & originem suam ex antiqua dominorum potestate in rusticos trahunt. Id iam suo tempore TACITVS de *moribus German.* obseruauit afferens: *Fruimenti modum dominus aut pecoris aut vestis vt colono iniungit.* Dominus has præstationes iniungebat virtute *dominicæ potestatis*, vnde adhuc hodie prædiis rusticis, siue rustici *liberi*, siue *proprii* fuerint, tales *census* & præstationes inhærent, cum, ma-
numis-

numisſis ruſticis, domini ipſis prædiis has præſtationes impoſuerint, quæ alias ex ſtatu ſeruili præſtandæ erant. Optime & ſolide de his cenſibus agit ZIEGLER. diſſ. de prædiis cenſit. rural. & cum hi ſpecialem ſuam rationem & naturam habeant, admodum varian- tem, de his primario non ero ſollicitus.

§. VII. Denique ſunt *annuæ præſtationes publi- cæ* ad onera publica referendæ, quorſum pertinent variæ ſpecies in Saxonia: Quatember, (quod onus etiam vocari ſolet currenten, *Contribution*) *Bermögen-Steur*, *Kopff-Steur*, *Schoffe*, *Land-Steur*, *Yfennig-Steur*, &c. quæ hic recensere non vacat. Hæc onera ſunt vel *realia* vel *perſonalia*, ad imitationem *cenſuum* Romanorum. Et cum *cenſus*, de quibus agendum, inde ſuam deſumſiſſe videantur appellationem, paucis horum naturam tangam. Moris erat apud Romanos cenſere non tantum capita ciuium, ſed etiam fortunas ſingulorum, vt pro facultatibus certus tributi modus ſolueretur. Iplâ præſtatio, quæ a ſingulis bonorum fortunarumque poſſeſſoribus fiſco inferenda, pro modo facultatum, erat, *cenſus* dicta fuit, vt docet *tit. C. de cenſib. & tit. C. Theod. de cenſu*. Conf. BRISSON. *lib. I. ſelect. antiquit. c. 5.* PITISCVS *in lexic. Antiquit. Rom. voc. cenſere*. In eundem fere cenſum GOTHOFRED. ad *cit. tit. C. Theod. ait, in paratitl. cenſus erat æſtimatio, qua continebatur modus tributi, qui fiſco a ſingulis inferendus erat*. Cenſus hic inhærebat bonis, vt onus reale, vt non liceret rem ſine cenſu comparare. *L. 2. C. ſine cenſu vel reliq. fund. compar. non poſſe*. Conf. FELICIANVS *de ſolis de cenſib. in proœm. n. 6.* Cum vero præter *tributa publica* aliæ præſtationes vel onera realia bonis imponi poſſint, inde factum eſſe reor, vt hæ

Tributa publica etiam annuas præſtationes habent;

Quamuis appellatio cenſuum inde nata.

hæ præstationes, ex bonis soluendæ variis ex causis, *census* generali appellatione in iure canonico vocatæ sint, adeo vt etiam eandem Germani in vocabulo *Zinß*, receperint: vnde *Zinß-Güther* vocantur *censibus* hisce obnoxia bona, & qui censum soluit *Zinß-Mann*; qui vero eos percipit *Zinß-Herr*. Denotat itaque CENSUS, de cuius vario *significatu & iure* hic agendum, in genere *annuam pensionem seu præstationem ex bonis faciendam, in signum alicuius iuris vel reservati vel ab altero impetrati vel alteri, cui soluitur, constituti, vt in perpetuum eius conseruetur memoria.*

Census solutio fit in varium finem:

Vnde indubium argumentum inde trahi nequit.

Census soluitur

§. VIII. Constitui in definitione varios censuum fines, quoniam *census* varium in finem antiquitus bonis ecclesiasticis & secularibus fuere impositi, vt ex solutione sola census perpetuum & euidentis argumentum desumi non possit, sed potius ex chartis diplomaticisque respiciendum ad *finem*, propter quem impositi bonis fuere. Agnouit id ipsum ALEXANDER III. in c. 8. *de privileg.* quæstus *de ecclesiis censualibus*, & fundamenti loco hoc præmittit: *inspicienda ergo sunt privilegia ipsarum ecclesiarum & ipsorum tenor diligentius est attendendus.* Addit, posse censum solui ad *iudicium perceptæ libertatis*: vel etiam ad *iudicium perceptæ protectionis*. Verum etiam ob varium alium finem constituuntur, vt certum aliquid argumentum ex *solutione census* capi non possit, grauiter queerent, qui hoc vel illud ius inde deducunt AVTOR *Act. Lindau. p. 104.* Eruam itaque ex antiquitatibus varios illos fines, in quorum signum, memoriam perpetuam, & conseruationem soluti.

§. IX. Antiquissimus est (1) census, qui olim pontifici Romano solucus fuit in signum *protectionis* *Specia-*

specialis, quæ eo vtilior ecclesiis, monasteriisque fuit, quod bona eorum infinitis exposita essent infidiis potentiorum, exactionibus episcopalibus, aliisque vexationibus, ad quas calamitates auertendas, speciali *protectioni* & *mundiburdio* sedis Romanæ sese & bona sua subiiciebant, non tamen eo ipso simul se plene ab episcoporum inspectione & censura eximebant. Atque in huius *protectionis* argumentum censum quendam sibi stipulabantur pontifices, cuius facit mentionem ALEXANDER III. in c. 8. X. de *privil.* recteque inde infert, ex hac solutione iuri dicecelano episcopi nihil videri subtractum, quod tantum ad iudicium perceptæ *protectionis* census persolueretur. Talem fuisse censum credo, quem quotannis ad altare S. Petri Romam persoluendum esse a cenobio Ratisponensi, in honorem S. Emmerani extructo, iussit CAROLVS M. in diplomate, quod occurrit in HUNDII *metropol. Salisb. tom. 1. p. 149. nou. edit.* qui ab initio tantum fuit septem aureorum. Occurrit in diplomate clausula: *ecclesiam Dei liberam esse & in potestate regum seu imperatorum usque in ævum permanere*, quæ libertas nihil aliud denotabat, quam specialem *immunitatem* ratione bonorum, quæ variis modis ab episcopis infestabantur. Confirmatur eadem libertas in privilegio OTTONIS I, & census simul augetur, quod forsan crederent cæsares, aucto censu, pontifices maiorum sollicitudinem gesturos pro securitate & integritate huius monasterii. Diploma OTTONIS itidem exhibet HUNDIVS *cit. l. p. 157.* vnde liquet (1) Ottonem *protectionem* hanc adstrictius confirmasse propter improbitatem episcoporum eiusdem civitatis, quia non omnes sed multi ex eis semper insidiosè contendebant contra eundem sanctum locum.

(1) in *signum protectionis.*

Exemplum
cenobii
Ratisponensis S.
Emmerani.

B

(2) in

(2) in maiorem protectionis Romanæ efficaciam censum auctum esse, quod verba hæc indicant: *propterea volumus & amorem & honorem S. Petri de prædicto monasterio censum augeri, ut rectores eiusdem cenobii pro defensione & libertate eiusdem loci vnoquoque anno offerant Romam dimidiam libram cocti auri ad altare S. Petri.*

*Aliud exemplum
Rotensis
monasterii.
vii.*

*quod in
libro
equitum
2. libro
in romanis*

§. X. Ad huiusmodi protectionem sedis Romanæ consequendam fundatores monasteriorum & ecclesiarum eadem B. Petro & ecclesiæ Romanæ solenni quodam ritu tradebant, & simul censum quendam annum promittebant. Tale quid factum in fundationem monasterii Rotensis, cuius fundator post fundationem illud B. Petro & Romanæ ecclesiæ tradidit per manum Eberhardi de Razenhoven, qui & primus pisantium annuatim persolendum Lateranensi palatio persoluit, teste HVNDIO in metrop. Salisb. tom. III. p. 182. edit. nov. GEWOLDVS vero in addit. aliquot diplomata adiecit, ex quibus evidentiùs intentio fundatoris apparet. Primo loco INNOCENTII II. de anno 1142. diploma adfert, in quo hæc habentur: *Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, præfatum monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt & sibi omnimodis profutura. Ad indicium autem huius a sede apostolica perceptæ protectionis bizantium aureum nobis nostrisque successoribus annaliter persoluetur. Simili fere tenore EVGENIVS III. anno usq. in protectionem specialem hoc monasterium suscepit, addita tamen hac clausula: *salva diocesimorum episcoporum canonica iustitia & reuerentia, ea sine dubio de causa, quod**

quod hoc monasterium plenariam forsan exemptionem a iure diocesano sub prætecto huius protectionis sibi afferere conatum esset. In diplomate FRIDERICI de anno 1226. idem refertur his verbis: *His ergo prædijs atque redditibus, cui fidelis Rotense monasterium fundavit, ac fundatum B. Petro ac Romanae ecclesiae tradidit per manum Eberhardi de Rozenbouen, qui & primus bizancium annuatim persolvendum Lateranensi palatio persoluit, ac sic loco atque familiae tutelam apostolicae defensionis obtinuit &c.*

§. XI. Similem censum persoluit Cluniacense monasterium a WILHELMO duce Aquitaniae anno 910. extructum, & defensionis sedis Romanae subiectum, in cuius recognitionem census soluendus erat. Verba testamenti WILHELMI ducis in *concil. Gallic. tom. III. p. 570.* id indigitant euidenter: *per quinquentium autem Romae ad limina Apostolorum decem solidos præfati monachi persoluant habeantque tuitionem ipsorum apostolorum atque Romanum pontificem defensorem.* Episcopus Bambergensis pari modo ab initio tantum nudae protectioni & tuitioni sedis Romanae ab HENRICO I. subiectus fuit præstito censu, vt testatur AVTOR *Vitæ Meinmerci* episcopi Paderborn. apud LEIBNIT. *tom. I. script. Brunsvic. p. 526. c. 27.* his verbis: *eodem ergo tempore Bauembergensem fundum rex cum omnibus pertinentiis suis B. Petro contradens apostolico præfati iugiter defendendum commendavit. Et in commemorationem huius pactiois album ambulatorem (h. e. equum) cum saleris singulis annis Romano præfati dare constituit.* Addit HOFFMANNVS *lib. 1. anal. Bamberg. §. 86.* præterea centenas marcas argenti in singulos annos ecclesiae Romanae datas fuisse. Ipsa

Item Cluniacensis monasterii.

Episcopus Bambergensis.

diplomata euidencius hanc *protectionem* demonstrant, ostenduntque, sub hac totalem *exemptionem* ab initio haud lacitasse. Primum est IOHANNIS XIX. de anno 1008. apud LVNIG. tom. II. spicil. eccl. p. 9. ubi hæc duæ clausulæ occurrunt: *sit ille episcopus liber & ab omni potestate extranea securus, Romano tantum inuindiburdio subditus.* Altera vero hæc: *sit tamen idem suo metropolitano subiectus atque obediens,* quæ indicium præbet, protectiones has non fuisse *totales exemptiones.* Censum, cuius ante memini, demum fit mentio in diplomate BENEDICTI VIII. de anno 1012. apud EVNDEM cit. l. p. u. ita sane, *vt singulis quibusque indictionibus, sub nomine pensionis equum unum album nobis nostrisque successoribus persoluat, cum sella conueniente Romano pontifici.* Pari modo LEO IX. anno 1052. omnia priuilegia Bambergensi ecclesiæ confirmauit apud EVNDEM cit. l. p. 17. hac adiecta clausula: *sed tamen idem episcopus suo metropolitano episcopo Moguntino in canonicis causis tantummodo sit subiectus & obediens,* quamuis tractu temporis *totalis exemptio* ex hac protectione sedis Romanæ producta & procreata fuerit. Ipsum *censum* episcopi Bambergenses fideliter sedi Romanæ persoluerunt, eoque nomine apochas acceperunt. Modum soluendi & apochas dandi prælaudatus HOFFMANNVS cit. l. lib. 2. §. 23. ab ill. Dn. a LVDEWIG editus tom. I. script. Bamberg. hoc modo depingit: *Eodem anno Hardouicus episcopus nuncium cum literis Romam ad Clementem pontificem misit, quibus ei sinceram fidem & reuerentiam præstitit, & censum annuum persoluit. Ad eas literas pontifex rescripsit in hæc verba: Clemens episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Hardouico, episcopo Babebergensi, salutem*

salutem & apostolicam benedictionem. Cum annuum censum vnius palafridi albi cum sella & centum marcarum argenti ecclesie Romanæ annis singulis persolvere teneris, & vsque ad præsentem annum pro toto tempore præterito tum prædecessorum tuorum quam tuo, de huiusmodi censu sit per te nostræ cameræ satisfactum; nos ab eodem censu pro dicto tempore, te & ecclesiam tuam duximus absolvendos, tibi super hoc præsentis literas concedentes. Volumus tamen, vt censum ipsum pro eodem, præsentis anno & deinceps annuatim solvere teneris &c. Cum vero hic census annuus graue onus ecclesie Bambergensi esset, anno 1054. HENRICVS III. Imperator cum pontifice egit, vt eum remitteret. Rem gestam enarrat HOFFMANNVS cit. l. §. 26. his verbis: erat sub id tempus ecclesia Babebergensis S. Petro & successoribus eius pontificibus Romanis in centum marcas argenti & palafridum in singulos annos dandum adhuc obligata: cam a tanto onere Henricus liberare cupiens petiit a Leone pontifice, vt censum remitteret, & pro eo Beneuentum, in ducatu Beneuentano, regii iuris oppidum, nomine vicariatus sibi haberet. Quare audita, Leo facile annuit, & ecclesiam a præstatione census omnino liberauit.

§. XII. Postquam seculo XI. exemptiones totales ab ordinariorum iurisdictione in frequentiore vsum sunt deductæ, (II) sedes Romana in signum & testimonium libertatis plenarie ab ordinariorum iurisdictione hinc inde censum sibi reseruauit, quod tales ecclesie specialiter iuris B. Petri existerent, vt dicitur in c. 8. X. de priuil. Tale libertatis priuilegium concessum est præposituræ Berchtesgadensis a PASCHALI II. anno 1106. apud LYNIG. P. III. spicil. eccl. p. 3. vbi refert, quod

(2) Soluuntur census in signum exemptionis plenarie.

Quod eximple præposituræ Berch-

*Bergaden-
sis illustra-
tur.*

quod Berengarius & Cano comites villam Berchtesga-
den & Nidernheim Deo & B. Petro sub annuo censu ob-
tulerint, additque: *sub tuitione apostolicæ sedis suscepi-
mus, statuimus itaque, vt nulli omnino liceat prædicta
allogia B. Petro subtrahere, minuere vel temerariis ve-
xationibus fatigare &c.* Confirmauit eandem prote-
ctionis concessionem CALIXTUS II. anno 1122. apud
EVNDEM *cit. l. p. 4.* additque: *ad indicium autem per-
ceptæ a Romana ecclesia libertatis aureum unum quotan-
nis Lateranensi palatio persoluetur.* In INNOCENTII
II. bulla de anno 1141. apud EVNDEM *p. 5.* clausula prior
ita refertur: *ad indicium autem huius a sede apostolica
perceptæ protectionis bizantium aureum nobis nostris-
que successoribus annis singulis persoluetur,* qua formu-
la etiam successores pontifices vsi sunt. Quamuis au-
tem in CALIXTI II. bulla adiecta hæc fuerit clausula:
*sane iuris ecclesiastici sacramenta a dicecesano suscipiatis
episcopo;* hæc tamen nullam ordinario conseruauit iu-
risdictionem, sed tantum actus ordinis seu functiones
sacerdotales, quæ a iurisdictione magnopere distin-
guuntur. Similis tenoris bullam anno 1201. INNO-
CENTIVS III. concessit cænobio S. Petri in monte se-
reno den Peters-Berg, quam refert ill. Dn. a LVDEWIG-
tom. II. reliq. MSCT. p. 208. In ipso diplomate refert
1) se eam ecclesiam in ius & proprietatem ecclesiæ Ro-
manæ recepisse: chrisma, oleum sanctum, consecratio-
nes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum
dicecesano episcopo reseruasse, qua clausula rursus ei
præter actus ordinis nihil relictum: 3) in signum liber-
tatis sibi censum persoluumdum esse, quod indicant ver-
ba hæc: *ad indicium autem huius perceptæ a sede apo-
stolica bizantium auri vel fertonem no-
bis*

*Et cænobii
S. Petri in
monte se-
reno.*

bis nostrisque successoribus annis singulis persoluetis. Simile plenariæ exemptionis sub annuo censu documentum occurrit apud EDMUNDVM MARTENE *in collect. noua tom. I. P. u. p. 29.* vbi refert GREGORII VII. confirmationem priuilegiorum monasterii Rothonis, hæc vtentis inter alia formula: *proinde iuxta petitionem tuam præfato monasterio, cui tu præesse dignosceris, & quod iuris S. R. E. esse dignoscitur, vnde per singulos annos census trium denariorum aureorum sibi redditur, huiusmodi priuilegia præfenti auctoritatis nostræ decreto indulgemus.* Post pauca clarius exemptio totalis, cuius nomine census soluebatur, his exprimitur verbis: *vt nulli alii nisi Romanæ & apostolicæ sedi, cuius iuris est, aliqua teneantur monachi occasione subiecti.* In EVGENII III. diplomate, p. 31. c. l. relato, hæc occurrit formula de eodem monasterio: *Ad indicium autem quod cænobium eorum iuris sit B. Petri & S. Romanæ ecclesiæ, singulis annis tres aureos nostro Lateranensi palatio persoluetis.* Hæc leuioris census præstatio monasteriis haud adeo onerosa erat, quippe qua a grauissimis episcoporum exactionibus & infinitis aliis oneribus liberabantur.

§. XIII. Neque vero sedes Romana duntaxat infinitas ecclesias immediate sub censu annuo sibi subiecit (quamuis non ab omnibus exemptis censum sibi stipulata fuerit, vt indicat *c. cit. 8.*) sed etiam (III) integra regna sub nexu quodam feudali *consualia* efficere, suoque pædo pastorali inusitata prorsus audacia subiicere conata est, quo in instituto præ ceteris GREGORIVS VII. obclarauit. Etenim (1) censum huiusmodi Gallia obrudere voluit, vt docet *epist. 23. lib. VIII.* apud HARDVINVM *tom. VI. P. 1. p. 1476.* Dicendum autem est

(3) in *fi-*
gnum sub-
iectionis,
qualem
censum
Gregorius
VII. a re-
gnis exo-
git:

Vt (u)
Gallia

Quamuis
frustraneo
sonatu.

est omnibus Gallis, & per veram obedientiam præcipiendum, ut vnaqueque domus saltem vnum denarium annuatim soluat B. Petro, si eum recognoscunt patrem & pastorem suum more antiquo. Nam Carolus Imperator, (sicuti legitur in tomo eius, qui in archiuo ecclesie B. Petri habetur) in tribus locis annuatim colligebat mille & ducentas libras ad seruitium apostolicæ sedis: i. e. Aquisgrami apud podium S. Mariæ & apud S. Ægidium. Nondum vero hunc tomum, ad quem prouocat, publicauit pontifex, qui sine dubio fictitius & spurius est, ut etiam obseruant FLEURY in histor. eccl. tom. XIII. p. 396. & MAIMBOURG. dans l'histoire du pontificat. de S. Gregoire le Grand. lib. III. in f. p. 314. Addit MAIMBOURG. p. 315. Mais comme on n'avoit garde de souffrir en France cette imposition & qu'il ne paroît pas dans nostre histoire, qu'on l'ait seulement proposé, il y a bien de l'apparence, que ses legats n'osèrent jamais en parler, beaucoup moins entreprendre d'exécuter ses ordres. Incidit forsan GREGORIVS VII. in literas GREGORII M. vnde liquet, ecclesiam Romanam in Gallia possedisse fundos quosdam per testamenta & donationes fidelium, quos in firmam concesserat quibusdam possessoribus, vnde hi quotannis certum soluebant censum, obseruante MAIMBOURGIO cit. l. p. 306. seqq. Miserat hunc in finem in Galliam Candidum, eumque CHILDEBERTO regi admodum commendauerat, hac addita petitione lib. 5. epist. 5. *fires eiusdem patrimonioli ab aliquo detinentur, potestatis vestræ iustitia corrigatur, & iuri pristino, quæ oblata sunt, reformentur.* Verum hoc patrimoniolum B. Petri tempore GREGORII VII. dudum extinctum & a pontificibus, aliunde fatis ditatis, neglectum erat, vt nec

nec sub hoc prætextu vniuerso regno censum imponere potuerit.

§. XIV. Similem fabulam narrat GREGORIVS <sup>b) Saxo-
nia.</sup> VII. c. l. de Saxonia a CAROLO M. B. Petro oblata his verbis: *Idem vero magnus Imperator Saxoniam obtulit B. Petro, cuius eam deuicit adiutorio: & posuit signum deuotionis & libertatis, sicut ipsi Saxones habent scriptum & prudentes illorum satis sciunt.* In eodem forsitan loco diploma hoc oblationis Carolinum asseruabitur, quo famosa illa donatio CONSTANTINI M. patrimonii petrini. Nam vtrumque titulum coniungere allaborauit in *formula iuramenti*, post RVDOLPHI mortem regi eligendo præscripta *lib. IX. epist. 3.* apud HARDVINVM *cit. l. p. 1481.* *De ordinatione vero ecclesiarum, & de terra vel censu, quæ Constantinus Imperator vel Carolus S. Petro dederunt, & de omnibus ecclesiis vel prædiis, quæ apostolicæ sedi ab aliquibus viris vel mulieribus ab aliquo tempore sunt oblata vel concessa, & in mea sunt vel fuerint potestate, ita conueniam cum Papa, vt periculum sacrilegii & perditionem anime mee non incurram.* Hæc fuit astuta sedis Romanæ cautela, qua ligare Imperatorum conscientias voluere, vt regnum Germaniæ sibi censuale facerent, quæ tamen effectu caruit.

§. XV. Hispaniam quoque censualem esse atque ad ius B. Petri pertinere, credulo imponere voluit orbi GREGORIVS VII. *ep. 7. lib. 1.* apud HARDVINVM *cit. l. p. 1200.* scribens. *Non latere vos credimus, regnum Hispaniæ ab antiquo proprii S. Petri fuisse & adhuc (licet diu a paganis sit occupatum) lege tamen iustitiæ non euacuata, nulli mortalium sed soli apostolicæ sedi ex æquo pertinere.* Quod enim auctore

C

Deo

Deo semel in proprietates ecclesiarum iuste peruenit, manente eo, ab usu quidem sed non ab earum iure occasione transeuntis temporis sine legitima concessione diuelli non poterit. Eandem fabulam repetit lib. IV. epist. 28. apud HARDVIN. p. 1373. Notum vobis fieri volumus, quod nobis quidem facere non est liberum, vobis autem non solum ad futuram sed etiam ad presentem gloriam valde necessarium, videlicet regnum Hispania ex antiquis constitutionibus B. Petro & S. Romanae ecclesiae in ius & proprietatem esse traditum. Post pauca allegat impedimenta, quae exactionem seruitii seu census admittere noluerunt: Nam postquam regnum illud a Saracenis & paganis peruasum est, & SERVITIVM, quod B. Petro inde solebat fieri, propter infidelitatem eorum, & tyrannidem detentum, ab usu nostro tot annis interceptum est, pariter etiam rerum & proprietatis memoria dilabi cepit. Hac de causa ablegasse se duos praelatos in sequentibus docet, qui iura sedis Romanae plenius assererent, & seruitium, quod B. Petro debetur, redintegrarent.

(b) Portu-
gallia.

§. XVI. Eadem fata habuit regnum Portugalliae, protectionem sedis Romanae imprudenter ambiens. Regnum, regi commissum, Romanae ecclesiae censuale esse, & hac de causa regem & regnum sub B. Petri & sua protectione se suscepisse scribit INNOCENTIVS III. lib. I. epist. 44. edit. BALVZ. Idem repetit in epist. 48. lib. I. & fundamentum inde petit, quod regnum regi commissum (quasi in administrationem a Papa) ab inelytae recordationis progenitoribus eius Romanae ecclesiae constitutum fuerit censuale. His praemissis pergit: Vnde per dilectos filios Ioannem Ouezi & Egeas Petri fratres hospitalis Hierosolymitani pro annuo censu quatuor

quatuor uncias auri, quas magnitudo regia recognovit ratione temporis a Lateranensi concilio iam elapsi, quingentos & quatuor morabatinos ad suggestionem dilecti filii fratris Ruinerii nuncii nostri nobis regia serenitas destinavit, quod debita prosequimur gratiarum actione. Is fuit ALPHONSVS rex Portugalliae, qui hoc regnum vestigale sedi Romanae fecit, sub annuo censu uncias quatuor, ut docent literae a BALVZIO primum editae lib. II. miscell. p. 210.

§. XVII. Pari fato, quod superstitio reprobanda produxerat, exposita fuere alia regna. Poloniam enim & Silesiam quoque censuales factas fuisse ex pacto Regis CASIMIRI cum pontifice ostendit GOLDASTVS de regn. Bohem. lib. II. c. 12. in f. Facit huius census soluti mentionem GREGORIUS VII. l. 2. epist. 7. apud HARDVIN. cit. l. p. 1268. Peruenit ad nos nuncius vester, qui magnae devotionis & fidelitatis vestrae exhibitionem nobis retulit, ut quae B. Petro sub nomine census misistis, videlicet centum marchas argenti ad mensuram vestri ponderis. Regnum Daniae paria astutia sibi subiicere studuit GREGORIUS VII. ut docent epist. 15. (s) Daniae. & 57. lib. 2. Sed intentioni non respondit eventus, regemque Daniae, qui pro more illius temporis non indeuotus erat in sedem papalem, terruerunt aliorum vestigia, animaduertentem, arrogantem hunc pontificem, ad reges censuales, ut ad subditos suos, scribere. Regnum Hungariae pariter suo pedo subiectum (s) Hungariae. esse censuit GREGORIUS VII. lib. 2. epist. 13. apud HARDVINUM cit. l. p. 1273. Nam sicut a maioribus, scribit, patriae tuae cognoscere potes, regnum Hungariae S. Romanae ecclesiae proprium est, a rege Stephano olim B. Petro cum omni iure & potestate sua oblatum & deuote tradi-

traditum. Redarguit ea de causa SALOMONEM regem Hungariæ, quod regnum hoc regi Teutonico in beneficium obtulisset, cum hoc non regiæ, sed *apostolicæ maiestatis beneficium* recognoscere deberet. Idem

(1) *Dalmaticæ & Corsicæ.*

reperit *lib. II. epist. 63. & 70. & lib. VII. ep. 4.* Regnum *Dalmaticæ* quoque Petro & sibi vindicat, quin. etiam *Corsicam* insulam *lib. VI. epist. 12.* in eundem referat censum, & ad dominium Romanæ ecclesiæ pertinere credit.

(2) *Sicilia.*

De censu regni Siciliae fedi Romanæ olim præstito vid. BALVZ. *in vit. Papar. Auen. p. 606.* Nec hic

(3) *Russicæ.*

substitit, sed ipsum *Russorum imperium* iure beneficario a se recognoscendum esse censuit in *epistola ad DEMETRIUM* regem Russorum scripta, *vid. lib. II. ep. 74.*

(4) *Angliæ.*

§. XVIII. Denique *Angliæ* regnum quoque denarium S. Petri, de singulis ædibus soluendum, fedi Romanæ obtulisse noto notius est, de cuius autore adhuc cespitant scriptores. vid. CANGIUS *in gloss. voc. Denarius S. Petri.* Soluisse hoc tributum GVILIELMUM regem anno 1070. constat vid. *Gest. Guiliem. p. 206.* Nouum anno 1213. accessit subiectionis documentum sub rege IOANNE, qui irato pontifici aliter satisfacere non poterat, quam vt regnum suum in manus eius resignaret, & illud ab eo rursus in feudum acciperet. Literas recognitionis refert MATTHÆVS

Quæ a Papa in feudum data.

Parif. in histor. Angl. ad cit. ann. p. 198. sq. in quibus subiectionem suam his profitetur verbis: *conferimus & libere concedimus Deo & sanctis Apostolis eius Petro & Paulo & sanctæ Romanæ ecclesiæ matronæ nostræ, ac Domino Papæ Innocentio eiusque catholicis successoribus totum regnum Angliæ & totum regnum Hyberniæ cum omni iure & pertinentiis suis pro remissione omnium peccatorum nostrorum & totius generis nostri pro vniuersa quam*

quam pro defunctis, & a modo illa ab eo & ecclesia Romana tanquam secundarius tenentes & recipientes in presentia prudentis viri Pandulphi domini Papæ subdiaconi & familiaris - - ad iudicium autem huius nostræ perpetuæ obligationis & concessionis volumus & stabilimus, ut de propriis & specialibus redditibus nostris prædictorum regnorum pro omni seruitio & consuetudine, quæ pro ipsis facere debemus, saluis per omnia denariis beati Petri, ecclesia Romana mille marcas Esterlingorum percipiat annuatim; in festo scilicet S. Michaelis quingentas marcas, & in pascha quingentas. Septingentas scilicet pro regno Angliæ & trecentas pro regno Hyberniæ. En vero superbiam PANDVLPHI legati pontificis! Hic enim pecuniam, quam in arrham subiectionis rex contulerat, sub pede suo conculcauit; archiepiscopo dolente & reclamante, ut ait MATTHÆVS Paris. cit. l. Innouata est eodem anno solenniter hæc subiectio, adueniente in Angliam NICOLAO V. Thusculanensi legato sedis Romanæ, teste EODEM p. 207. inquit: *antemais altare ecclesiæ cathedralis coram clero & populo exacta est a rege & innouata illa non formosa sed famosa subiectio, qua in manum domini Papæ diademate cum regno resignato, tam dominium Hyberniæ quam regnum subdidit Anglicanum.* Anno 1215. pontifex subiectionis memoriam renouauit in bulla apud EVDDEM cit. l. p. 223. his verbis: *quæ imo utraque sententia relaxata regnum suum tam Angliæ quam Hyberniæ beato Petro & ecclesiæ Romanæ concessit: recipiens illud a nobis in feudum SVB ANNO CENSU MILLE MARCARVM, fidelitatis nobis inde præstito iuramento.* Hoc modo pontifices quæuis regna sub annuo censu sibi subiugare conati sunt, & forsitan omnes reges

Admodum
ferociente
eius le-
gato.

parem fortunam cum rege Angliæ experti fuissent, nisi tandem aulæ Romanæ ultra modum crescens potentia fracta fuisset. De hisce *vasallis sedis Romanæ* ex instituto agit ANTONIVS MARCELLVS *de iure seculari Rom. Pontif.*

Similis
census so-
lutio ex bo-
nis oblatis.

§. XIX. Liqueat ex hæcenus dictis hunc censum ecclesiam Romanam ab ecclesiis, monasteriis & regnis sibi passim vindicasse, vel in signum *acceptæ libertatis* ab episcopali iurisdictione, vel in argumentum *singularis protectionis* sedis Romanæ, vel ob *nexum feudalem* in memoriam factæ olim *oblationis* in feudum ecclesiæ Romanæ. Neque vero tantum sedi Romanæ hi *census* ex regnis beneficiariis obuenerunt; nobiles quoque & proceres regnorum, inprimis Germaniæ, bona sua ecclesiis episcopalibus monasteriisque in feudum obtulerunt, ex deuotionis cuiusdam irregularis pruritu, simulque sese ad seruitia feudalia & censum annuum, in memoriam factæ *oblationis* & *recognitionis* soluendum, obstrinxerunt, vel *iure precariarum* ab iis possederunt. Varia id diplomata illustrent & corroborant. Apud GORDASTVM *tom. II. rer. allem. p. 41. n. 50.* occurrit charta Vpperti, qua bona sua obtulit ecclesiæ S. Galli & in recognitionem memoriamque huius oblationis sese ad censum obligauit, his verbis: *in ea vero ratione, ut dum ego aduixero, ipsas res habere debeam & censui me pro hoc annis singulis de festiuitate S. Galloni in aliam soccum aut IV. denarios.* Aliam chartam similis oblationis IDEM *cit. l. n. 42. p. 38.* adfert, vbi ista *census* obligatio occurrit: *& pro istas res proseruire volo annis singulis h. e. XXX. seglas cereuisie, XL. panes, Frischengam tremessem valientem & XXX. mannos & arare duos iochos in anno.* Alia oblationis charta *n. 84. p. 53.* occurrit, qua testatur Wolf hugi se cœnobio S. Galli tradidisse & donasse,

se, quicquid in pago Turgawensi possederat, additque sequentia: *nibique & legitima mea procreationi sub ea ratione possidendam dereliquit cœnobium, ut censum exinde singulis annis persoluamus i. e. II. denarios vel II. maldros de grano. Si ego illas redimere velim, cum I. solido id agam. Si vero ego illas non redimmam, legitimi heredes mei sub prædicto censu eos possideant.* Sub n. 83. GOLDASTVS *cit. l.* aliam chartam oblationis adfert, in qua census a priori diuersus constitutus legitur: *in ea videlicet ratione, ut easdem res ad me recipiam tempus vite mee persfruenda, censumque inde annis singulis persoluiam i. e. ut ad proximam curtem S. Galli unum iuchum arem, & cum semine meo seminem annis singulis unaquaque iuga. Et si redimere illud velim, cum duobus solidis id agam. Si autem uxor mea me superuixerit, easdem res habeat, centumque annis singulis persoluat, i. e. VI. maldras de auena & I. maldram, de Kerno &c.* Similes chartæ occurrunt n. 77. 78. 79. 81. 82. quæ ostendunt, bona huic cœnobio fuisse oblata, ut vel eadem feudi vel precariæ in posterum sub annuo censu tenerent.

§. XX. Sed reuertor ad curiam Romanam, ubi dubium motum fuit, an talis census citra *Simoniam* soluarur. Morem hunc INNOCENTIVS III. in c. 6. X. de relig. domib. ab omni simoniaca labe immunem esse censuit his verbis: *nos quoque cum libertatis priuilegium vel protectionis presidium aliquibus ecclesiis indulgemus, gratis accipiamus censum gratis oblatum, & in literis nostris ad successorum nostrorum memoriam census exprimamus etiam quantitatem.* Duplici argumento probat, in solutione huius census *Simoniam* abesse, 1) quod gratis accipitur, non tanquam pretium acceptæ libertatis

Census curie Romanae soluti citra Simoniam.

tis & redemptæ protectionis: tunc enim Simoniam committi volunt, quando *vt pretium* interueniente pacto aliquid soluitur, quod in *census solutione* occurrere non videtur, utpote nullam proportionem habentis cum priuilegio accepto, sed tantum in *signum* & memoriam impetratæ gratiæ promissi: (2) *quod gratis offeratur*, non quasi ex pacto, sed spontanea oblatione; neque enim in *exemptionibus & protectionum* bullis semper census est reseruatus, & per stipulationem constitutus, sed magis a quibusdam, ut vult pontifex, sponte oblatus. Meo iudicio non necesse fuisset, hisce uti argumentis, nisi tam late contra iuris rationem, extensa fuisset simoniæ labes putatiua, ut facile ratio dubitandi contra hos census inde desumi potuisset. Interim rationes adductæ ita comparatæ sunt, ut fere vbique simoniæ inuolucrum aliquod induci posset, cum, quod soluitur, ut plurimum titulo *honorarii, sponte oblati*, soleat incrustari.

Census
etiam ad-
uocatis so-
luti.

§. XXI. Eadem ratio quoque varios *aduocatorum census* produxit, quorum solutione ecclesiæ vel monasteria recognouere, se *iuri aduocatiæ* subiecta esse. In genere enim, ut dixi, hi census argumenta erant iuris alicuius alteri concessi vel ab eo impetrati, cuius memoriam hoc ipso conseruabant veteres. Dabantur vero frequenter aduocati ecclesiis vel nudæ *defensionis* vel etiam *iurisdictionis* exercendæ gratia. Posterior aduocatiæ species tunc erat necessaria, quando monasteria ducum ordinariæ potestati erant subducta, ut haberent iudicem, per quem ciuilia & criminalia expedirentur, quorum exercitio prælati eo tempore adhuc abstinere cogebantur. Apud autorem *Chron. Gemmelac. in spicil. Dacheriano tom. VI.* relati occurrit diploma OTTONIS M. de anno 984. quibus LANTBERTVM, comitem Louaniensem, creauit

creavit aduocatum cœnobii Gemmelacensis, centum-
 que hunc ei assignauit: Porro aduocatus in villis aduo-
 catiam pertinentibus nihil aliud iuris habeat nisi per sin-
 gulos annos de vnaquaque domo denarium vnum, galli-
 nam vnã, auenæ sextarium vnum. In charta HENRICI
 IV. de anno 1075. relata in monum. Wurtemb. in mon. Hir-
 saug. n. 1. & apud TRITHEMIVM in chron. Hirsaug. ad
 ann. 1071. p. m. 86. hæc occurrunt: nullum aliud serui-
 tium, ius aut beneficium sibi pro hoc recognoscat, nisi ter-
 tium bannum & consuetudinariam iusticiam & legem,
 quam ceteri aduocati in aliis liberis monasteriis habent
 super fures, proteruam & censuales & cetera talia, &
 in illis tribus placitorum diebus in vnoquoque maltrum
 de frumento & vnum frisingum (friskingium) & vnum
 siculum de vino & cetera ad hoc pertinentia. Similis fere
 tenoris chartam de anno 1090. ex MSCTO publicauit in
 obseruat. ad Petr. de Marca de C. S. & Imp. lib. I. c. 12. obs.
 18. in qua RUTHARDVS, archiepiscopus Moguntinensis,
 monasterium Comberg. confirmauit, & de aduocati iu-
 re hæc constituit: cuius aduocati libero concessum est ar-
 bitrio, vt semper, si velit, post sanctam hebdomadem
 pentecostes II. feria placitum habeat in villa, quæ dicitur
 S. & non in anno sepius, nisi ab abbate inuitatus; in præ-
 dicto autem placito ad seruitium eius debet abbas ei dare
 maltrum frumenti pro faciendo pane frisingum vnum
 porcinum & duos ouinos & vinum ceteraque ad hæc suf-
 ficientia. Similiter TRITHEMIVS in chron. Spanbeim. ad
 ann. 1325. idem illustrat: denique ad petitionem præfati
 comitis Ioannis Willich abbas prædictum filium eius ad-
 uocatum suum in villa monasterii, quæ dicitur auen con-
 stituit, cui duodecim maldra auenæ & totidem pullos ab
 incolis eiusdem ville danda singulis annis pro feudo assi-
 gnauit.

pro iuris-
 dictionis
 exercitio.

gnauit. Sed ne quidem hoc censu moderato contenti erant aduocati, sed quidam occasione eius plures alias exactiones faciebant, & monasteria admodum grauabant, vt magis essent monasteriorum hostes, quam protectores. Cistercienses speciali priuilegio a GREGORIO IX. anno 1234. contra huiusmodi attentata muniti sunt, quod refert CHRYSOST. HENRIQUEZ *in meneolog. ord. Cist. tom. II. priu. 15. p. 61.* Alia monasteria sibi alia ratione consuluerunt, graui are redimendo aduocatas, vel aliter eas abolendo.

*Non tamen
ex censu
solutione
potest ius
aduocatie
probari.*

§. XXII. Inde quæstio fuit mota, an ex solutione census possit *ius aduocatie* probari, vel adminimum eius *possessio* induci? Negat hoc ROSENTHAL *de feud. c. IV. concl. 14. n. 3.* nec sine ratione negat. Cum enim census sit argumentum varii iuris, non *aduocatie* tantum, adeo vt etiam propter *remissum ius aduocatie* referuari poterit in memoriam pristini iuris, euidentis est, solam census solutionem esse argumentum admodum incertum & lubricum pro certo iure inde probando, nisi alia vrgentia adminicula accedant, vnde de vero sine huius census constare possit. Ergo probandum est, censum esse solum in argumentum *aduocatie* vel ostendendum, in cuius significationem solutus fuerit? Ceterum si constat, in signum *protectionis* esse censum solum, monasterio destructo, non amplius debetur, cum obligatio ad soluendum censum sit *respectiua*, respectu certæ rei & intuitu certi finis præstanda, quo utroque extincto, censum quoque extinguere necesse est. MAGERVS *de aduoc. arm. c. 16. n. 15.* Quid vero si census fuerit promissus in argumentum acceptæ *libertatis* ab aduocata? Hic diuersus & quidem talis finis est, qui durare videtur, destructo etiam monasterio. Enim vero cum
hic

*Exincto
monaste-
rio, ex-
stinguitur
census pro-
tectionis
ergo con-
stitutus,
vel etiam
si acceptæ
libertatis*

hic census ipsa bona ecclesiastica vel monasterium ad- *causa pro-*
ficiat, & intuitu eorum solvatur, non adparet, a quo ex- *missus est.*
gi census queat. Ponamus, monasterium prorsus de-
structum, bona dissipata & dilacerata fuisse, a quo quæso
talisis census exigi posset? Certe, vt ego quidem existimo,
a nemine. Vnicum tantum excipio casum, quem instru-
mentum pacis *art. V. §. 47.* indigitare videtur, si anno
1624. A. C. statibus, foundationibus iam destructis aut
collapsis, ex alienis territoriis pensiones, quorsum etiam
tales *census* pertinent, debitæ fuerunt, qui iis exsolui in
posterum quoque debent iis, qui anno 1624. d. i. Ian.
in *possessione perceptionis* vel quasi fuerunt. Præterea
vero hoc adiicitur: *quæ vero ab an. 1624. destructa fue-*
runt, aut in futurum concident, eorum pensiones etiam
in alienis territoriis domino destructi monasterii seu loci,
in quo id situm, exsoluantur.

§. XXIII. Præterea quoque episcopis variis ex *Episcopi*
causis census soluti sunt. Sic (I) monasteria olim eccle- *census ex-*
sias parochiales a laicis ex antiqua infeudatione posses- *gerunt (1)*
sas, acquirebant, id quod cum aliter, quam cum *pro con-*
episcoporum fieri non posset, solebant hi *cessione, vt*
monasteria
ecclesias
parochia-
les a laicis
acquire-
vent,
vel (2) pro
earum li-
beratione
a manibus
laicorum,
annuum cen-
sum pro tali concessione sibi reseruare, quem concilium
Claromontanum certo modo approbauit, apud PETRVM
de MARCA de C. S. & L. lib. VI. c. 31. & HARDVINVM tom.
VI. p. 2. concil. p. 1735. Ceterum hoc etiam (II) episcopi
ad eum extendebant casum, si ipsimet ecclesias tales, olim
in feudum laicis datas, manibus possessorum liberaue-
rant, & in pristinum restituerant statum, pro quo bene-
ficio ab ecclesia annum postulabant censum, quod for-
didæ auaritiæ indicium videbatur, adeoque merito re-
probandum erat, vt docet c. 9. X. de censib. Imo (III) *(3) vel pro*
quandoque ipsas ecclesias sub annuo censu clericis con- *locatione*
earum,
cede-

cedebant, quod instar *locationis* erat, variis ex causis reprobatum, vt *tit. ne praelati vices suas vel ecclesias sub annuo censu conced.* docet. (IV) Episcopi quoque annuum censum sibi stipulari poterant, quando iuri suo diocesano, accedente consensu papali, in monasteria & ecclesias ei connexas renunciebant, quod approbat pontifex in *c. 6. X. de relig. domib.* Cum enim in exemptionibus monasteriorum saepe solitus fuerit censum certum sibi reseruare, id multo magis permittere debuit episcopis, iuri suo in monasteria sub hac conditione renunciantibus. (V) In vnionibus quoque ecclesiarum, praesertim, quae monasteriis fiebant, sibi licite episcopus, pro facultate hac accepta, *censum annuum* reseruasse, indiguit pontifex in *cit. c. 6.* his verbis: *cum non insolitum sit, nec nouum, vt cum episcopi ecclesias concesserint piis locis, aliquid sibi reseruent in eis nomine pensionis.* (VI) Quandoque etiam loco *exactionum*, quae varii generis erant, sibi censum quendam generatim stipulabantur, & ab illis ex singulari gratia ecclesias liberabant, vt docet *c. 21. X. de cens.* Denique (VII) in ipsa dedicatione ecclesiae honoris gratia quandoque quid episcopo reseruatum est, vt docet *c. 30. C. 18. q. 2.*

§. XXIV. Hac omnia euincunt, censuum fuisse diuersissimos fines, quod etiam confirmatur in *c. 5. X. de censib.* adeoque vniuersalem regulam de his constitui non posse, nisi hanc, quod pro *concessione iuris cuiusdam singularis* constituti vel reseruati fuerint soluti. Hunc morem imitationem traxerunt postea principes aliuue magistratus, subditis aliquid indulgentes, & pro annuo censu hanc vel illam facultatem, quam absque eorum consensu exercere nequeunt, concedentes, veluti exstruendi molendinum, aperiendi metallifodinam & quae

(4) pro renunciantione iuris diocesani,

(5) pro unione,

(6) pro liberatione ab exactionibus,

(7) in dedicatione ipsa.

Census etiam principes pro concessione iuris variis exegerunt.

quæ sunt alia. Etenim *libertas naturalis* in multis provinciis per leges provinciales admodum restricta est, unde factum, ut non spernendi proventus ex *cenfibus annuis* in fiscum vel ærarium magistratum quotannis reddent. Ideo enim soluuntur hi census annui, tum ut recognoscant subditi, se ex *concessione magistratus*, & non proprio iure, hac facultate uti, tum etiam quia exemplo antiquorum episcoporum iam dudum in morem abiit, nullam indulgere gratis gratiam, sed omnia ut plurimum *pro censu* annuo concedere. Denique hoc etiam nobiles in pagis ex antiqua *dominica potestate* in rusticos, qua horum libertas naturalis admodum ligata fuit, in constantem traxere praxin, & rustici sub annuo censu commercium huius vel illius iuris, a quo per dominos antiquitus exclusi fuere, impetrare coacti sunt.

§. XXV. Hac de causa ill. Dn. BERGER in *æcon. Nobiles quoque tales census a rusticis pro huius vel illius iuris usu exigunt.*
iur. lib. 1. tit. 12. §. 16. not. 6. non inique censet, 1) censum de vino vsto Brantwein = Blasen = Zins regaliibus minus recte accenseri, multo minus 2) *censum protectionis* & *incolatus* Schuz- und Hauß-Genossen-Geld, adeoque etiam hos nobilibus & magistratui inferiori deberi posse; addit vero, hos census a *iurisdictione* repetendos non esse sed solo *usu* æstimari. Sicuti vero *observantia* sine fundamento quodam esse non solet, quo primordialiter est introducta, ita nec hoc casu illud deficere videtur. Scilicet (1) ipsa *census* exactio pro concessione cuiusdam facultatis, in se non est regale, ut ex hactenus dictis liquet, sed potius ipsa *facultas* inspicienda, quæ quoties *regalibus* annumeratur, census debetur camera principis; quoties vero etiam arbitrio priuatorum subiecta, censum etiam hi sibi stipulari vel reseruare possunt. (2) Nobiles olim habuisse *dominicom potestatem* in rusticos, iam

iam supra obseruauit, vnde non tantum ipsa *patrimonialis iurisdictio* natales suos habet, sed ipsimet varia *iura præcipua* sibi vindicarunt, a quorum commercio rusticos adhuc hodie excludunt, & in antiquissimo *usu & obseruantia* hac de causa sese fundare solent. Sane commercium *vini adusti priuatiuum* nobilibus eo magis arrisit, quo magis sese hoc potu ingurgitare solent rustici, non sine lucro & quæstu eius, qui censum inde percipit. Ideo enim hoc commercium ex *potestate antiqua* sibi priuatiue attribuerunt, vt annum censum pro eius concessione quotannis percipere possent. Ita vero (3) regulariter talis *census* debetur *domino iurisdictionis*, quippe qui in iura veterum dominorum successit, qui tale commercium sibi appropriarunt. Denique (4) *census protectionis & incolatus* ex eodem principio fluit, ex quo primordialiter iurisdictio patrimonialis deduci debet. Exercuere nobiles *dominicanam potestatem* in rusticos: pagum, in quo hi habitabant, suum dixere, &, postquam bona sua in feudum obtulere, inde factum, daß sie auch mit dem Dorffe belehnet werden. Inde qui in ipso pago, vt inquilinus vel incola recipi & commorari voluit, ex concessione eius, cuius in dominio fuit pagus, id facere debuit, indeque mos inualuisse videtur, vt tales incolæ soluere teneantur *censum protectionis & incolatus*, quod ita eius *iurisdictioni* sese subiecerint. conf. DN. WILD-VOGEL *de protectionis censu*. Cum hoc censu affinitatem habet *census agricolationis* vulgo Leib-*Wfennig*, Leib-*Beth*, in illis locis adhuc vsitatus, in quibus rustici *homines proprii* sunt seu seruilis conditionis, quippe quem præstant in argumentum seruitutis seu proprietatis, vid. FROMMAN *de oper. subditor. maxime rufficor. th. 23.*

HARPRECHT *vol. nou. conf. 4. n. 776. seq.* STAM. *de seruit. person. lib. III. c. 22. n. 2.* Talem censum annum sponte olim subierunt, qui sese in *proprietatem* alteri dabant, in primis si sese vt *mancipia & proprios homines* ecclesiis vel monasteriis offerebant. Testis est CÆSAR HEISTERBACH *lib. VII. de mirac. c. 39.* referens, *Walierum de Birbach, consanguineum Henrici ducis Louanii B. Mariæ in quadam paupere ecclesia in eius honorem dedicata, fune collo suo iniecto, seruum glebæ sese obtulisse & soluisse singulis annis censum de capite suo, qualem serui originarii soluere consueuerunt.* In locum huius census, qui *seruitutis* argumentum est, sine dubio census *protectionis & incolatus* substituitur est iis in locis, vbi rustici non amplius sunt *proprii homines, sed liberi*, vt in argumentum *protectionis* censum soluant, quem olim soluebant rustici in *seruitutis* indicium. Ægre enim, statu rusticorum licet mutato, nobiles aliquid de redditibus suis remiserunt, vtut nomina mutare coacti fuerint.

§. XXVI. Superest, vt reliquam *censuum* praxin paucis adiciam. Quod *episcoporum* avaricia iam dudum probauerat, etiam patroni, ecclesias in suis fundis exstruentes, sibi permillum esse persuasissimum habebant, variisque censibus ecclesias suas grauabant, vt docet *c. 23. X. de iure patron.* Reprobauit hoc ipsum pontifex voluitque, vt tantum *antiquos & moderatos redditus* perciperent, a nouis vero abstinere. *Antiqui* redditus non alii erant, quam qui consensu episcopi in ipsa fundatione reseruati erant. Sicuti enim quilibet rei suæ legem scribere potest, ita æquum erat, vt patroni census, sub cuius conditione ecclesias fundauerant, præstarent. Solebant enim patroni in *memoriam pristini domini*, & ad captandam gloriam in omnem posteritatem, ex bonis in ecclesiam

Patroni quoque ecclesias a se fundatis census imposituros.

clesiam collatis, sibi censum quendam annum referuare, quale exemplum suppeditat pontifex in *c. 18. X. de sent. & re iudic.* vbi patrono annuatim *decem solidi* soluendi erant. *Novi* census autem dicebantur, qui post foundationem ecclesiis a patronis obtrudebantur, iure suo sese vti arbitrantibus, quod iure *dominii directi* gauderent. Nec hoc demirandum, cum idem episcopi tentarent, vt ordinarii collatores ceterorum beneficiorum *c. 7. X. de censib.* Vtrumque hoc prohibitum est, ceu docent *c. 7. & 15. X. eod.* adeo vt nec antiquos census augere permissum sit.

Præstant etiam census parochi prælati, cuius beneficio ecclesia per unionem iuncta est.

§. XXVII. Deprehendo etiam censum, quem parochi soluere debebant de redditibus parochialibus prælati, cuius beneficio iuncta erat per *unionem* ecclesia. Hic enim primarius unionis erat effectus, vt vel *rector domini*, vti vocant *principalem*, omnes redditus perciperet, & *vicario* suo quotannis certam reddituum portionem assignaret; vel *vicarius* seu parochus omnes redditus perciperet, & *principali* quotannis censum præstaret, prout in ipsa *incorporatione* vel *unione*, auctoritate episcopi, prouisum erat. Illustratur posterius per *unionis* instrumentum de *an. 1309.* FRIDERICI episcopi Brandenburgensis apud ill. DN. a LVDEWIG *tom. II. reliq. MSCT. n. 176.* in quo *plebano* seu parochi hoc onus impositum: *videlicet quod plebanus quicumque seu rector ecclesie præfate in Schartome, qui pro tempore fuerit, VI. marcas argenti Stendalliensis, Magdeburgensis ponderis & octo choros diuersi generis annonæ supra dictis præposito, qui pro tempore fuerit, & ecclesie sanctæ Mariæ singulis annis in perpetuum & cunctis temporibus seculorum de redditibus & prouentibus ipsius ecclesie annalis in Schartome, ad usus præpositi ac ipsius ecclesie persoluet, præsentabit,*

bit, donabit, atque dabit ad diem S. Martini hiemalem. Idem FRIDERICVS eodem anno apud EVNDEM n. 177. ecclesiam Burch eidem cœnobio incorporavit, hac inter alia vsus formula: *videlicet quod plebanus quicunque seu rector ecclesie præfatæ in Burch, qui pro tempore fuerit, XL. marcas argenti Stendalliensis Magdeb. ponderis supra dictis præposito, qui pro tempore fuerit & ecclesie S. Mariæ singulis annis in perpetuum & cunctis temporibus seculorum de redditibus & proveniuntibus ipsius ecclesie parochialis in Burch ad vsque præfati præpositi ac ipsius ecclesie persoluet &c.* Vtrumque diploma vallatum est pœna dupli, si parochus negligens fuerit in soluendo hoc censu.

Census
precaria-
rum.

§. XXVIII. Non infrequentes quoque olim fuerunt precariarum concessiones, quarum rationes excussit Dn. PRÆSES in iur. eccles. protest. tit. de precar. Possessoribus harum regulariter ad annuum censum tenebantur in recognitionem dominii, & argumentum concessionis precariæ. Apud MABILON. in annal. Benedict. tom. II. in append. n. 43. occurrit precaria Bertfredi abbatis Melundensis, ubi inter alia præstatio annui census hac firmatur clausula: *si de ipso censu negligentes apparuerimus, duplum componamus, & nihilominus precaria ista firma omni tempore vite nostræ permaneat & ita stabilis, ac si de quinquennio in quinquennium renouata sit.* In capitularibus hanc in rem facientia plura occurrunt documenta Lib. VI. cap. 425. apud BALVZ. tom. I. p. 1006. constitutum, ut in adiutorium exercitus sub precario & censu bona ecclesiastica retineantur, simulque conditiones vtriusque determinantur. Lib. VII. capit. 142. p. 1034. de aliis precariis generaliter id traditur, episcopisque electio relinquatur, vtrum finitis precariis rem ipsam recipere velint, an posteris eorum sub precario & censu ha-

E
bere

bere permiserint? In *formulis Bignonianis* apud BALVZ. tom. II. p. 506. n. 20. hæc occurrit clausula: *propterea hanc precariam manu mea vel bonorum hominum firmatam vobis exinde emisimus, ut annis singulis censu denariorum tot ad luminaria S. illius -- die illo, quod eueniet festo ipsius sancti illius pro hoc vobis dare & adimplere faciam.* Aliis testimoniis hoc exornat BIGNONIVS in *not. ad append. Marculfi* apud BALVZ. tom. II. capitul. p. 961. Adiciam adhuc formulam priuilegii monasterii Arebatenfis, concessi anno 866. & relato a BALVZIO ad *Petrum de MARCA de C. S. & Imp. lib. III. c. 16. in f. Has villas cum mancipiis & omnibus ad se pertinentibus in usus luminariorum matriculariorum & ceteris, quæ in ecclesiis in præfato monasterio positæ necessaria fuerint, deputauit CVM OMNI CENSU DE OMNIBVS PRECARIIS monasterii.*

Census re-
feruatus in
memoriam
pristinæ do-
minii.

§. XXIX. Denique etiam bona sub modico censu in alterum transferri possunt, interueniente contractu, cuius facere mentionem videtur ALEXANDER III. in *c. 1. X. de restit. in integr.* Natura eius in eo consistit, ut pleno iure res in alterius proprietatem transferatur, ne quidem retento dominio directo, census tamen annuus in perpetuum reseruetur in *memoriam pristini dominii.* De tali contractu pontificem egisse, communiter ex illa ratione concludunt, quod, ecclesia læsa & restituta, bona ad ius & proprietatem eius redire dicantur, adeoque præsupponi debeat, ecclesiam læsam antea proprietatem amisisse. Id in primis egit FELICIANVS de SOLIS, ut hoc defenderet, & ea occasione tractatum de *censibus* conscriberet, quam sententiam etiam tuetur GONZALEZ ad *cit. c. 1.* Ego hic subsisto, cum argumentum, quo vtrumque, etiam applicari possit ad emphyteusin in Italia vsitatam, cuius intuitu textus prædictus conscriptus est, *Modicus census etiam*

etiam soluitur in emphyteusi: emphyteuta non raro *coloni* dicuntur, quales minus recte dicuntur, in quos pleno iure res translata est, & si contra hanc alienationem ecclesia læsa restituatur in integrum, recte dicitur fundus in *ius & proprietatem* ecclesie redire. Quicquid vero huius rei sit, si *plenum dominium*, reseruato censu transfertur, census vt onus reale fundo inhæret, eoque nomine actione *confessoria & negatoria* vtili agendum est. Ortum inde sine dubio traxere *census redimibiles*, quos *constitutiuos* vocant, sicuti priores *reseruatiuos*. FRANZK. l. 1. ref. 1. n. 14. sqq. BERGER in *œconom. iur. lib. III. tit. 5. §. 27.* qui in eo quidem conueniunt, quod in vtroque census sit instar seruitutis, dominium autem plenum penes censitam maneat, sed in *fine* est differentia. Neque constitutiui proprie huc pertinent, cum de his censibus tantum agam, qui *argumentum iuris alicuius concessi* sunt, qua de causa neque de aliis censibus, qui ex fundis, vario contractus genere intercedente, præstantur, ero sollicitus, quamuis alias *census* appellatio tam diffusa sit, vt quibuscunque pensionibus & præstationibus applicetur, de quibus tamen hic minime agitur.

§. XXX. Ostendi, ni fallor, luculenter, census *Varia censuum argumenta in vnum conferuntur.* varii iuris argumentum esse posse. Quod si enim, quae dicta sunt, in vnum confero, palam erit, census solui (I) in signum *protectionis* §. 9. sqq. (II) *exemptionis plenarie* a potestate & iurisdictione episcoporum, §. 12. (III) *subiectionis* nexusque feudalis §. 13. sqq. (IV) factæ *oblationis* bonorum ecclesiis vel monasteriis §. 19. (V) *aduocatiæ* §. 21. (VI) *liberationis* ab aduocatiæ §. 22. (VII) *pro concessione*, vt monasteria ecclesias parochiales a laicis acquirerent, (VIII) pro liberatione ecclesia-

rum a manibus laicorum, (IX) pro renunciatione iuris dicecesani, (X) pro vnione, (XI) pro liberatione ab exactionibus, (XII) in memoriam factæ dedicationis, §. 23. (XIII) pro vario iure a principe concessio subditis, §. 24. (XIV) pro commercio vini adusti, (XV) pro incolatu, (XVI) in signum seruitutis, §. 25. (XVII) in memoriam foundationis, §. 26. (XVIII) ob vicarium, §. 27. (XIX) ob concessionem preciarum, (XX) in memoriam pristini domini, §. 29. Plura sine dubio addi possent, quæ varium censuum significatum illustrare possent; verum hæc sufficere existimauimus.

Census in frumento.

§. XXXI. Præstatur census vt plurimum in frumento vel pecunia. Si in frumento, in ea præstandus est census mensura, quæ tempore constitutionis vel reservationis vsitata fuit, quippe de qua eo tempore cogitatum fuit. Si de ea mensura non constat, (quod contingere tunc in primis potest, si ab eius præstatione per diuturna cessatum tempora, nec aliunde constat, qua mensura antecessores censum persoluerint) distinguit pontifex in c. 18. X. de censib. aut eadem & communis est terræ mensura, aut diuersa (v. c. der grosse und kleine Scheffel). Priori casu soluendus census in dubio *communis mensura*; quamuis enim olim alia mensura adesse potuerit; sufficit tamen, quod de ea non constet, nec a debitore probari possit. Posteriori vero, qui soluere in minore mensura volunt, non sunt cogendi, vt ad maiorem persoluant. Optimam INNOCENTIUS III. addit rationem: *quoniam cum huiusmodi vota (census) gratuita fuerint ab initio, benignius sunt a viris ecclesiasticis exigenda, ne tanquam exactores videantur lucris temporalibus inhiare.* Hæc ratio ex decore & honestate externa, clericis in primis commendata, est de summa:

sumta: superest alia, eaque iuris communis: Quod ubi varius regionis mos est, ad id quod minimum est, redigenda summa sit, l. 34. de R. I. vel ut in l. 9. eod. dicitur, semper in obscuris, quod minimum est, sequimur. Quæ etiam applicari potest ad nobiles aliosque quoscunque, qui tales census percipiunt.

§. XXXII. Si census in moneta soluitur, eaque Census in moneta. postea mutata vel extra usum prorsus posita fuerit, regulariter respiciendum ad bonitatem monetæ, quæ tempore impositionis & reservationis promissa, ut censuit pontifex in c. 20. & 26. X. de censib. ut in illa bonitate moneta, vel si ea haberi amplius nequit, æstimatio eius præstari debeat, nisi præscriptione XL. annorum (in ecclesiasticis censibus: in aliis ergo XXX. annorum) interueniente in alia qualitate pecunia accepta fuerit, quorsum respexisse videtur pontifex in c. 20. & non nisi triginta sex annorum ad plus tempus effluxerit, quibus indigat, non fuisse præscriptionem completam. Equidem haud leuis ponderis dubia circa hanc quæstionem mouit HARTMANNVS PISTOR. obs. 144. asseruitque, parum hic referre, vtrum præscriptio sit impleta nec ne? cum non tam de præscriptione quam præsumta remissione agatur, quæ etiam ex usu paucorum annorum induci possit, ita ut qui censum in moneta æstimationis vel valoris minoris acceperit, maiorem censum remississe videatur. arg. L. 13. D. l. 5. C. de usur. Enim vero 1) talis præsumtio cedere debet veritati, si contraria voluntas, quod maior census haud fuerit remissus, doceri poterit, ut ipse PISTORIS docet cit. l. n. 47. sqq. Quid enim si doceat actor, se non sponte recepisse, se protestatum fuisse? Quin cum 2) errantis non sit voluntas nec consensus, l. 15. D. de iurisdic.

risdict. crederem, audiendum actorem esse, si errorem probare paratus est, contra eum, qui in *presumta remissione* se fundat ex acceptatione monetae leuioris valoris: probato enim errore, *presumta remissio* corrui. Præterea quoque 3) respiciendum, an is, cui *presumta remissio* opponitur, remittere pro lubitu potuerit, id quod in ecclesiasticis censibus non est integrum regulariter *l. 37. D. de pact.* quale exemplum in *cit. c. 20.* occurrit. Talia autem dubia & obstacula allegari nequeunt, si *prescriptionis* *presidium* censitam cuetur, quippe quæ ius irrevocabile ex lapsu temporis constituit B. HORN. *class. XI. resp. 89.*

Quid si
moneta ex-
sincta va-
lor dubius
fuerit?
Quid si
simpliciter
quantitas
promissa?

§. XXXIII. Quod si moneta antiqua, iam prorsus extincta, valor dubius sit, rursus in dubio quod minus est, accipiendum *cit. l. 9. § 34.* Denique si tantum simpliciter *quantitas* in censum deducta, sine *expressione generis monetae*, veluti *duobus thaleris* promissis, contigeritque moneta *bonitatem* mutari, siue *intrinsecam* siue *extrinsecam*, census in consueta hodie moneta soluendi, licet in hodierna moneta duo thaleri forsitan deteriores quam olim tempore *impositionis* vel *reservationis* fuerint, quia non certa nummorum species sed in genere *quantitas* in censum est deducta adeoque huius tantum habenda ratio.

Difficultates motæ
referuntur
& resol-
vantur.

§. XXXIV. Quæ difficultates hic moueri & excitari solent, ut plurimum inde nascuntur, quod a diuersis ad diuersa argumenta trahant. Videlicet (I) huc minime reduci debent decisiones in *mutuo* & *condictione indebiti* receptæ & approbata. In his speciebus obligatio *ex re* nascitur, & ita simpliciter quatenus *res* interuenit, obligatio in futurum constituta censetur, *l. 17. pr. de pact.* ut non ad præsentem nummorum sed *antiquum*

tiquum respiciendum sit statum, qui fuit tempore contractus initi, seu *datationis*. CARPZOV. P. 2. C. 28. def. 5. Hæc ratio ad *census* & alias annuas *præstationes* promissas applicari nequit, in quibus obligatio non ex *redacta* & *accepta* sed *solo consensu* nascitur. Hic vero, si indefinite *quantitas* promissa, ad eam vnice respicitur, & ita *census* quotannis in *moneta* consueta solui debet.

(II) Omne præsidium vt plurimum quærunt in *cit. c. 20. § 26.* quorum textuum decisiones tamen non exhauriunt hanc doctrinam, sed de specialibus loquuntur casibus, vt optime obseruat WIESTNERVS ad *tit. X. de censib. n. 34.* Videlicet, vt paucis me expediam, in *c. 20. de censib.* adfertur ea facti species, qua certum numerorum genus *denarii Papiensis* debebatur, & loco eius aliud genus, scilicet *denarii Luccenses*, solutum. In his mutatio contigerat, qui tamen non debebantur; non item in illis, qui erant in obligatione, quæ nondum erat per præscriptionem sublata, adeoque respondet pontifex, *denarios Papienses* in posterum esse soluendos. Non ergo hic primario quæstio erat de *mutata* monete *bonitate*, sed de certo numerorum genere præstando, quod mutationem haud receperat, prout etiam obseruat GONZALEZ ad *c. 26. X. de censib. n. 6.*

§. XXXV. Eadem fere decisio deprehenditur in *c. 26. X. de censib.* quæ itidem supponit casum, vbi *certum genus* monete in obligatione erat, videlicet, vt *census* in *moneta Turonensi* præstarentur, loco cuius *moneta Parisiensis* exigebatur, quod reprobauit pontifex in *cit. c.* vt eleganter illustrat GONZALEZ ad *cit. tx. n. 7.* Rursus hic non erat quæstio de *mutatione monete*. Neque enim *moneta Turonensis*, in qua *census* promissi erant, mutata fuerat; sed eam respuebant canonici,

*Dubium
resoluitur
ex c. 20. X.
de censib.*

*Resoluitur
dubium ex
c. 26. X. de
censib.*

40 DE VARIO CENSIVM SIGNIF. ET IVRE.

nonici, & pretiosorem seu diuersum monetæ genus petebant.

*Temperamentum
decisionis.*

§. XXXVI. Diuersa ab his adductis casibus est ratio, si indefinite *quantitas* promissa, quæ merito attendenda, qualiscunque mutatio monetæ; interuenierit, vt creditoris lucro & damno sit augmentum vel incrementum monetæ; cum non expresse genere monetæ *consuetus & vsitatus* valor in dubio intellectus videatur, nisi forsan enormis læsio in debitorem vel creditorem ex nimia monetæ mutatione redundare videatur, quo casu, *æquitate* suadente, quæ optimum interpretandi fundamentum constituit, ad valorem primæuum foret respiciendum, tum quia *noua* insolita est, nec diutius persistere solet, adeoque de eo casu paciscentes haud cogitasse videantur: tum etiam quia benignior sententia in dubio arripienda, quæ a tali læsione abhorret. WIESTNER *ad tit. X.*


de censib. n. 37.

F I N I S.

COROLLARIA.

- (I) Testamentum nuncupatiuum non admittit heredis institutionem relatiuam.
- (II) Sine ope aduocatorum processus hodierni peragi nequeunt.
- (III) Testamentum etiam per procuratorem iudici insinuari potest.
- (IV) Consanguinei heredis testes sunt habiles in testamento.





Haller, Diss. 1722 A-B I




f
sb.

1078







B.I.G.

Farbkarte #13

12 17222
76
47

IVSTI HENNINGII BOEHMERI ICTI
POTENTISSIMI REGIS PORVSSIAE CONSILIARII INTIMI
MAGDEBVRGICI DVCATVS CANCELLARII ACADEMIAE
FRIDERICIANAE DIRECTORIS PROFESSORIS IVRIS
PRIMARI ET IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
PRAESIDIS

TRACTATIO IVRIDICA
DE
VARIO CENSVM
SIGNIFICATV ET IVRE.



HALAE VENEDORVM
TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI.
RECUSA MDCCLIV.

(5)

